DE

# MORBIS CORDIS ORGANICIS

## OBSERVATIONES QUAEDAM.

DISSERTATIO INAUGURALIS.

AUCTORE

FRIDERICO STADELMEYER,

MED. CHIRURG. ET ART. OBSTETR.

DOCTORE.

Würzburg

NORDLINGAE,

TYPIS C. H. BECK, MDCCCXXVII.

# PROLEGOMENON.

Quum Wirceburgi, curſu abſoluto, Doctoris gradum impetraſsem, D. D. Heusinger, qua erga me erat benevolentia, sceleton Trichiuri lepturi, diſſertationis inauguralis loco deſcribendum mihi traditurus erat. Jam in eo eram, ut laborem hunc ſuſciperem, quum rebus familiaribus domum redire, cogerer. Propoſitum igitur mihi erat, ſi rarior quidam caſus obveniret, illo ad ſcribendam diſſertationem inauguralem uti.

Haud diu praxi medicae operam dederam, quum puella in rariſsimum incideret morbum, quem vocant Somnambulismum ſpontaneum, cujus curam ſuſcepi. Erat haec puella duodeviginti annos nata, a patre et ex matre ſanis, magno corpore, ſed habitu ſcrophuloso. Jam decem annos quum nata eſset, animum habuit propensum ad ſolitudinem et

furorem quasi fabulas Romanenses legendi. Annos duodecim quum nata esset, saepe interdiu dormivit, et exsperrecta, quid in urbe accidisset, narravit, affirmans, hoc in somno sibi oblatum esse. Haec puella a morbo supra memorato corripiebatur.

De extasi magica quam vocant clarum visum (clairvoyence) ea quidem mirabilia quae alii observasse volunt, non vidi; non enim legit litteras in abdomine positas, aut sermone utebatur peregrinorum, nec sortem aliorum semper praedicere poterat; sed sui ipsius miram in somno magico habuit notitiam, et interdum etiam aliorum, imprimis si illis favebat. Ne multa de mira hac divinatione! hoc tantum afferam, ut per triginta septem hebdomades, quas duravit morbus, quovis die, ad sexagesimam usque, dicere possit, quo tempore postero die dormiendo inceptura, et quo exsperrectura esset. Nunquam per longum hoc tempus in praedicendo somno erravit. Non minus accurate spasmos, quibus vehementer vexabatur, praevidebat. Quamvis tempore regulari venire non solebant, sed plerumque animi quo-

dam motu, imprimis ira, eliciebantur, tamen tribus hebdomadibus ante, non ſolum diem, ſed etiam horas, quibus adfuturi ſint spasmi, et quot temporis duraturi ſint, praedixit. Amicus tum praeſens, quid de spasmis illis praedixerat, calamo excepit, ut, num ita eveniret, videre poſsimus, et accuratiſsime omnia sic evenerunt.

Non possum, quin observationem de mira facultate praevidendi, quid in corpore ejus eveniat, enarrem.

Visitavi eam die quodam: nulla mutatio status, pulsus normalis, bonus, facies hilaris, neque sitis aucta, neque ullum inflammationis aut plethorae signum. Attamen venaesectio ut sibi fiat, urget. Quum sibi repugnari aegre pateretur, venaeſectionem me facturum promisi, si mihi reduci res urgere videretur. „Jam“ inquit, videbis, neceſse eſse, fieri venaesectionem.“ Tribus post horis, quum ad illam rediiſsem, invenio illam in terra positam, pulsu duriſsimo, frequenti; arteriae temporales adeo tanta vehementia pulſabant, ut rumpi minarentur. Tangentis digitus ab illis magna vi

reprimitur. Facies rubra, tumida, capitis calor urens, oculi distorti. Rebus sic stantibus non dubitavi, quin venaeſectio, ut fiat, curem, quae subito, illa adhuc magice dormiente, facta est.

Perſuaſum igitur mihi habeo, hoc morbo afflictas non ſolum mutationes morboſas ſed etiam remedia interdum praevidere poſse.

Quid medicus non praeſens agat, accuratiſsime ſaepius ſciunt. Saepius ubi eſsem, cum quibus loquerer, quo veſtimento indutus ſim, me abſente, matri narravit. Sed ne a veritate diſcedam, opus eſt, fatear, eam ſaepe quoque erraſse, et res, quae non evenerunt, praedixiſse.

Nonnullis, qui prorſus de morbo hoc exiſtente dubitent eumque pro ſimulato habeant, ſpasmos tantum opponam, quorum vehementia tanta eſt, ut nemo eos imitari poſsit. Haud enim raro non ſolum Trismum et Tetanum ſed etiam Opiſthotonum sex ſeptemve horas durantem, vidi. Quis hoc ſimulare valeat!

Quamvis rariſsime, attamen interdum clarus ille viſus et in alios extendebatur. Amico, de quo jam supra locutus ſum, intranti „litteras“, inquit, accepisti, easque non lingua vernacula ſcriptas, ſed franco gallica.“ Mirabar magnopere, quum ille, ſe revera paucis horis ante ejusmodi litteras accepiſse, affirmaret easque mihi oſtenderet. Adhuc memoratu dignum mihi videtur, eam in ſomno magico non ſolum magna alacritate locutam eſse, ſed etiam cibos cepiſse, manibus laviſse, et ſcripſiſse oculis clauſis, quod ſemel fecit. A menſibus per totum morbi tempus quarta quaque hebdomade exſolvebatur, modo ſpasmi eo tempore erant frequentiores et vehementiores.

Obſervavi denique, manipulationem magicam unicum remedium eſse ad compescendos ſpasmos et ad vires aegrotae reſtaurandas. Methodum, qua magice in illam agerem, ipſa me docuit. Attamen explicare non audeo, quomodo, et quas leges ſecuta, natura mirum hunc morbum producat, et quomodo fiat, ut magica manipulatione malo huic mederi poſsit.

Non dubito quidem, fore nonnullos, qui ulteriorem hujus rei perſcrutationem et accuratius exhibitam morbi hiſtoriam lectu dignam habeant; ſed multa hac in re obſcuriora adhuc mihi ſunt, quam quae explicare audere poſsim. Magis probatum igitur mihi videbatur, hanc rem prorſus omittere, et, legibus academicis ut ſatisfiat, obſervationes de morbis cordis organicis dare, eo magis, quum amicus, qua erga me eſt comitate, hiſtorias morbi hanc ad rem ſpectantes mihi dediſset, quibus enarratis epicriſin additurus ſum.

# DE MORBIS CORDIS ORGANICIS.

Morbos cordis organicos ex initio praecipue saeculi nostri saepius inveniri, quam unquam antea, ab omnibus medicis, qui multum in praxi medica versantur, imprimis ab iis, qui nosocomiis praesunt, observatum est.

Causam, cur morbi illi nunc frequentius observentur, ni fallor, in psychico in organismum influxu, imprimis in deprimentibus animi affectibus, quaeras. Nullum quidem tempus ad provocandos ejusmodi affectus aptius fuit, quam ultimum praeteriti et primum nostri saeculi decennium, quum ex bellis vix interruptis multis hominibus miserrima sors evaserit. Labores in fabricis elanguescentes, durifsimi militum labores et multa alia totidem erant causae moeroris et anxietatis. Si perpendimus, milites plerumque aut saltem homines miserae conditionis aut alios, qui victus parandi curis vexarentur, fuifse, qui morbis cordis organicis laboraverunt, vix de causa illa dubitare possumus.

Haud igitur ingratum opus me suscepturum putavi, si historias morbi hanc in rem spectantes palam facerem, quas, quamquam lethalem habuerint morbi exitum, legere eo magis intererit, quum unicuique sectionis descriptio addita sit.

# HISTORIAE MORBORUM.

## HISTORIA MORBI PRIMA.

Paulus Mayer, Rothensis, juvenis viginti quatuor annorum, miles in exercitu Regis Bavariae, corporis altitudine insigni, firma robustaque corporis structura, sed colore faciei pallido flaviusculo albescente (quomodo nullum hucusque videram) secundum suam et patris relationem jam a pueritia pectore gravato laborabat; praecipue autem per ultimos sex septemve annos affectiones illae ingravescebant. Tribus abhinc annis praeterlapsis militiae conscriptus semel valetudinis infirmitate, iterum imbribus vias inundantibus fretus, bis in trubunali regio res militares administrante non adfuit, et sine dubio non nisi hanc ob causam tamquam imperii detrectator, militiae additus est, quoniam alia ratione certe invalidus et impotens fuifset officii militaris subeundi.

Jam in primo itinere a Roth ad Pleinfeld in via publica jacuit et maximam ad partem curru vectus ad Cohortem Augustam Vindelicorum delatus est. Officii militis pedestris subeundi omni modo invalidus, copiis equestribus adscriptus est, sed equitatio cum corporis constitutione non magis conveniebat, quam officium pedestre. Per plures dies, hebdomades, menses in nosodochiis militaribus Augustae Vindelicorum, Norimbergae et Monachii commoratus est. Semper tanquam insanabilis ex nosodochiis dimifsus et officii invalidus patri, ut victum ei praeberet, transmifsus, minime autem ab officio liberatus est. Norimbergae per sex dies Haemoptisi procubuerat, quae venaesectionibus et Nitro sanata est.

Die vigesimo sexto mensis Julii anni 1822 auxilium meum implorans, adiit domum meam.

Symptomata: respiratio brevis, ingravata, anhelofsa, thorax vix non plane immobilis non extollebatur non extendebatur, aëris haustio sola musculorum abdominalium actione peragebatur, pulsus parvus, frequens, durus; aderat tufsis et sputa phthisin indicantia. Plurimum temporis aegrotus sedendo peragere cogebatur; scalarum et montium ascensu, solo

adeo ingrefsu, minima corporis motione discrimina respirationis ingravescebant. Dolor localis urens vel pungens non aderat; angustiam et opprefsionem aegrotus accusabat.

Ex colore pallido, subflavo, albescente, qui signum phthiseos psoricae pathognomicum, causas perscrutatus, edoctus sum, aegrotum anno praeterlapso per integros sex menses scabie infectum fuifse, quae infricationibus unguenti sanata sit; qua re diagnosis phthiseos psoricae confirmata est.

Ad morbum ipsum sanandum, tussim et sputa praescripsi infusum senegae tamquam emulsionem cum oleo amygdalarum et gummi arabico, ad causam, quae credebatur, amovendam pulveres ex sulphure depurato et cremore tartari, quos unguentum stibiatum secuturum erat.

Noctu vigesimi sexti ad vigesimum septimum vehemens haemoptiseos accessus aegrotum vexabat. Mane vocatus, mixtura hesterna seposita, nitrum praescripsi, quoniam ob phthisin, quae credebatur, et ob faciei speciem venaesectionem instituere non ausus sum. Vespere tamen, quum pulsus frequens, perquam plenus, durus esset, dolor pungens in pectore

accederet tussisque vehementior esset, ita ut, pneumoniam adesse, vix dubium superesset, venaesectio unciarum decem instituta. Sanguis erat aquosus, dissolutus, nihilominus haud parvam referebat crustam phlogisticam. His remediis et unguento Hydrarg. in thoracem infricato et diaeta rigorosa pneumonia et Haemoptisis paucis diebus sanatae sunt.

His symptomatibus urgentibus mitigatis aegrotus respiratione liberiore utebatur. Ego vero indicationem causalem perfecturus sulphur depuratum et unguentum stibiatum praescripsi, quod vero aegrotus repudiavit, asserens, se, repetito morbi insultu, in nosodochium militare Norimbergam deferri, operam daturum, itaque, illo insanato, curae meae finem inponere debui.

Die quarto mensis Augusti post aliquod tempus aegrotum observanti corporis firmitas diminuta, color luridus et discrimina respirationis aucta videbantur. Die nono Septembris iterum vocatus inveni aegrotum ad tabulam sedentem prono situ, respiratio brevissima, anhelosa maxime ingravata, thorax prorsus immobilis, pectus ad anteriorem partem paululum oedematose tumefactum, pedes ad immensam crassitiem aqua distenti, ut vix moveri possent, urina mutata et alvus suppressa, abdomen hydropi-

cum, pulsus parvus frequens. Cognati aegrotantis fomentationes ex aceto vini instituerunt et syrupum domesticum dederunt. Ego hydrothoracem subacutum vel potius hydropem universalem suspicatus, ut recidivam haemoptisin prohiberem nec ulterius ad eam sanandam ad venaesectionem cogerer, Nitrum praescripsi cum Squilla, et externe linimentum ex oleo terebinthinae infricari jussi pedesque pannis laneis fumo baccarum juniperi imbutis foveri ac fricari curavi. Nox haud bona, tempus tamen matutinum diei decimi Septembris remissionem referebat; pedes incalescentes ad transpirationem perducti erant. Medicina continuatur. Vespere hora quinta visebam aegrotantem. Angustia pectoris et oppressio horrenda; aegrotus per intervalla conscientia destitutus procubuit et flagrantissime sublevationem in pectore desiderabat. Cognovi indicationem hydrothoracis prae ceteris urgere, quare Hydrarg. muriatic. mit. et digitalem p. praescripsi, sed hora nona matutina aegrotus mortuus est.

## S E C T I O.

Die duodecimo Septembris hora promediana secunda consentiente patre, et consulis urbis duorumque Clericorum praesentia, instituta est.

Pedes quam maxime tumefacti erant et abdomen tympanitice extensum, ut et hic aquam

adesse, suspicatus sim. Praeter ea externe nihil conspiciendum, quod memoratu dignum sit.

Cavum thoracis apertum est, et jam difficillima separatio partis costalis cum sterno excisae, de adhaesione et coalitione testabatur. In dextro latere pleura vix non tota usque ad claviculam fere cum pulmonibus et musculis intercostalibus concreta erat, ita ut parva tantum pulmonum pars libera et mobilis esset, et adhaesio tam firma, ut non nisi ope duarum manuum protrusarum magna vi separari posset. Pulmo sinister minus paululum concretus, sed posterius, versus spinam dorsalem etiam accretus erat. In substantia pulmonum tubercula quaedam, nec vero multa, nec magna. In cavo thoracis aqua paucissima, et magnitudo pericardii jam ab initio ostendebat, hoc in viscere veram morbi sedem esse.

Pericardium ad mirum magnumque ambitum extensum erat, et illo aperto aquae unciae octo novemve effluxerunt. Cor ipsum parte tertia, imo dimidia majus quam pro statu normali, erat. Ex dissectis arteriarum aortae et pulmonalis ostiis massas gelatinosas flaviusculas dimidium fere vasorum lumen implentes, consistentes ex sero coagulato, nullo autem loco cum corde

concretas, idcirco sine dubio non in priori vita, sed in ultimis morbi diebus, vel post mortem ortas, extraxi. Vasa majora erant normalia. Cor apertum referebat parietes incrassatos aliquantulum, praeter hoc nil alieni. Septum atriorum plenum vestigiis foraminum majorum vel minorum erat; foramina illa autem, quae cyanoseos suspicionem provocare possent non perforata, sed coeca erant, maxima saltem diligentia et accuratissima perscrutatione nulla investigari poterat inter duo atria communicatio. Ipsum foramen ovale clausum. Septa ventriculorum mirum in modum incrassata, aneurisma igitur cordis activum; parietum crassities in ventriculo aortico dimidiae, in ventriculo pulmonali dimidiae aut tertiae pollicis partis erat; ventriculorum ipsorum lumen normale; trabeculae vero carneae magnae, crassae, longae, multae, digitos manus infantilis aeqantes. Cor ipsum, qua erat abnormitate, testudinis cordi simile.

Gravissimum vero momentum et totius morbi principium in canali communicatorio inter atrium sinistrum et ventriculum aorticum situm erat. In canali hoc communicatorio inveni os magnum, album, durrissimum, per fissuram in medio fere situm, in duas partes divisum, longitudine $1\frac{1}{2}$, latitudine $\frac{3}{4}$, crassitie

$\frac{1}{2}$ pollicis. Os illud non plane divisum una parte cohaerebat, ita ut corporis cum cruribus imaginem referret. Duo ossis crura, per intervallum linearum nonnullarum separata, marginibus serratis denticulatis sibi obstabant. Os omne ponderis drachmarum decem erat. Omnis sanguis ex pulmonibus rediens per fissuram penetrare oportuit, ut in ventriculum devehi posset, et quum fissura una parte tantum cohaereat, altera autem non ossificatione concreta sit, sed ligamentis adhaerens dilatari aliquid, sed non multum, possit, vix tenuis cultellus per viam protrudi potuit, per quam omnis sanguis corpus adire debebat.

In ventriculo aortico reperiebatur praeter polypum supra memoratum, sanguis niger, coagulatus.

Abdomen non aqua, sed aëre impletum erat; an vero aër in intestinis ipsis aut in cavitate abdominis contentus fuerit, nescio, quia celeri sectione peritonei intestinum etiam vulneravi. Abdomen sub exhalatione aëris foetidi consedit. Verisimile ultimum videtur. Hepar normali magnitudine, sanguine destitutum, lien magnus, sanguine imbutus, renes et omnia caetera in abdomine sana erant. Caput non apertum est.

## HISTORIA MORBI SECUNDA.

Dorothea Heklin, puella tredecim annorum, mense Aprili aegrotare coepit et die vigesimo sexto ejusdem mensis curanda mihi tradebatur. Erat tenera constitutione, magnitudine pro aetate sua normali, cute tenera, jamque per plures annos de respiratione difficili conquesta est, et cognati mihi exploranti referebant, eam, cum montem vel scalam ascenderet, breviter et difficile halitum duxisse.

Symptomata illo die erant: dolor vehemens, pungens in thorace, praecipue in regione sinistra, respiratio brevissima, anhelosa, lingua albida, sitis, febris et pulsatio cordis vehentissimae, haud minor Carotidum et radialium pulsatio, tussis sicca.

Pneumoniam adesse credens, venaesectionem unciarum sex institui curavi, Nitrum cum extracto Hyosciami et Glycyrrhizae, et potum calidum ex radice Atheae, graminis et glycyrrh. praescripsi et ungt. Hydr. cum oleo hyosciami coct. infricari jussi. Vespere idem. Sanguis crusta phlogistica obtectus, niger, multum cruorem tenens, observabatur. Die sequenti, quum symptomata nondum mitigata essent, mane iterum venaesectio unciarum septem facta est.

Medicamenta jam praescripta continuata, et pulveres ex Calomelanos grano uno omni bihoria alternatim cum mixtura nitrosa sumendi praescripti sunt. Vespere symptomata a vehementia quidquam recedere videbantur, dolores, respiratio difficilis, tussis mitigata erant. Postero die medicina continuata, symptomata remittere coeperunt; spes salutis ostendebatur. Die primo mensis Maji infusum radicis Senegae cum ammonio muriatico, extracto Hyosciami et Liquiritiae praescriptum et post tempus haud longum aegrota sanitate restituta gaudebat.

Postea pedes oedematose intumuerunt, quod cognati haud mali ominis habebant. Ego vero ex cordis, quamvis imminuta, sed minime omnino remota, vibratione stridente et sibilante morbum cordis organicum suspicatus, haud laetam salutis futurae spem afferre potui. Sedebat aegrota in lectulo vel sella, corpore prono; de anxietate respirationis conquerens.

Hebdomadibus aliquod praeterlapsis vidi virginem pedibus tumefactam, faciem adeo tumoris aquosi haud expertem, prono situ sedentem, graviter exspirantem, praecipue in omni corporis motu. Cordis vibratio sibilans stridens et auri percipienda, manus pulsatio vehe-

mentissima, non minus carotidum arteriarumque radialium.

Haud paulo post mater aegrotae mihi narravit, pedes tumefactas esse ad abdomen usque, illudque ipsum tumefieri. Ego infusum ononidis spinosae et baccarum Juniperi praescripsi et fumigationem ex fumo Juniperi adhibendam suasi. Sed frustra.

Die decimo quarto mensis Julii iterum vocatus inveni aegrotam ne lectulo quidem incumbentem, sed vix procedendi validam; facies quidquid tumefacta, thorax et extremitates superiores tabescentes, abdomen et extremitates ad magnitudinem vix non immensam extensae; pedes in articulatione genu flecti haud poterant. Tumor abdominis ad scrobiculum cordis extensus, durus erat. Urinae parcae. Pulsus arteriarum vehemens, in carotidibus oculis videndus, pulsus cordis violentus, sibilans, stridens, undulans.

Spem laetam salutis praedicere non potui, quum, de morbo cordis organico persuasus, sanationem non insecuturam esse, certissime praeviderem. Edixi tunc aegrotantem esse morituram tempore fortasse inexspectato.

Praesoripsi infusum digitalis p. cum squilla et Syr. Senegae cum pulveribus ex calom. et digit. p. alternatim sumendum; infusum baccarum Junip. et rad. ononidis, fumigationes pedum et frictiones. Haud sine omni effectu urinae largiores fluxerunt; oppreſsio mitigata quidquam, tensio abdominis minus dura, pedes tenuiores. Tunc pulveres ex kali tartarico cum digitali p. sumendos suasi, et lanceola in utroque pede scarificationes incisionibus tribus parvulis feci, bono cum succeſsu. Vulnuscula suppurabant, sed non multum, et post triduum pedes tenuiores, tumor abdominis collapsus erat, minus durus, et ut aegrotanti, sic mihi ipsi spes quaedam salutis affulgebat.

Vespere ejusdem diei multis vescebatur fructibus Solani tuberosi et mane hora quinta mortua est.

Multis difficultatibus superatis thoracis aperiendi facultas conceſsa est.

In thorace pleura coalita et aquae aliquantulum inventum; cetera sana. Cor ipsum normali majus, aneurismaticum. Parietes ventriculorum normali crassiores; adipis multum ad atria et septa. Septum ventriculorum incrassatum, perforatum in fundo vel apice cordis,

ut communicatio esset inter ventriculos. Descendens aortae pars quaedam, quum arteriae essent exsectae, angustata, cartilaginosa, ossificata.

Pericardium non coalitum, nec aqua impletum.

Caetera perscrutari non licuit.

## HISTORIA MORBI TERTIA.

Georgius Gromling, puer quatuordecim annorum a patre et ex matre phthisicis natus, tenera corporis constitutione et gracili statura, nec sine habitu phthisico, puer ingeniosus, benignus, obsequens, sed tacite, quasi alta solicitudine preſsus, omnes labores perficiens, per integrum annum in mola habitavit, cujus possessor cognatus parentum fuit.

Die vigesimo sexto mensis Novembris vocatus adveniebam nocte hora octava et dimidia. Puer aegrotus lectulo incumbens per aliquot jam dies de dolore in capite, pectore et abdomine conquestus est; alvi secretio suppressa, respiratio impedita, brevis, nec autem ullam inflammationem topicam cognoscere potui, sed potius febrem inflammatoriam universalem. Arteriae vibrantes et cor ipsum eum in modum pulsabant, quo nondum vide-

ram; tam radiales quam temporales et carotides non solum tactui, sed etiam visui erant oblatae. Cor costas fere percutere et ex pectore exsilire minitabatur. De ulteriore hujus phaenomeni ingreſsu atque decursu nil percipere potui, quam quod molitoris famulus, apud quem prius puer non raro in eodem lectulo decubuerat, jam per aliquod tempus pulsationem arteriarum in puero ob frigus propius sibi correpente senserit idque molitori dixerit.

Ob symptomata inflammatoria statim venaesectio unciarum septem facta et mixtura ex oleo ricini, gummi mimmos, aqua Sambuc, et kali nitrico et Syrupo rhei ordinata.

Quum postero die aegrotum visitarem in sanguine emiſso crustam inflammatoriam utra pollicis quartam partem densam inveni, parum seri, sed multum nigri cruoris. Mixtura efficacem se ostenderat et bis terve alvus soluta erat, symptomata inflammatoria autem haud multum imminuta erant. Vespere iterum venaesectio unciarum septem instututa, in sanguine crusta phlogistica, sed paululum tenuior inventa. Eodem die mixtura ex: kali nitric-ol. amygdal - gummi mimos - aqua foeniculi-spirit. Minder et syr. simpl. ordinata.

His remediis inflammatio remota, sed in praecordiis integumenta quam maxime tensa erant, et versus dextram dolor pungens urens sentiebatur, nec inunctionibus nec regimine antiphlogistico fugandus. Hirudines adpositae sunt quinque, quo facto tensio cessit ac dolor.

Aliquot diebus post dolor in sinistram pectoris partem recefserat urens, pungens, ut inflammatio pulmonum aut cordis esset timenda. Hirudinibus quatuor in pectore positis, dolor cessit. Sed quamvis inflammationis symptomata remissionem aliquam ostendissent, tamen respirationis difficultas perduravit. Pedes tumore oedematose affecti, ipsa facies tumefacta; omnia hydropem universalem, praecipue vero hydrothoracem indicaverunt.

Ego medicus tum juvenis medicum ut ingenio sic multorum annorum experientia probatum accessivi, qui, postquam, diuretica et antihydropica, ut. v. g. infus. digit, crem. tart. Squillam frustra a me tentata esse, audivit, satis tunc haesitavit an non tertia vice vena sit tundenda.

Ego vero primo in eodem casu dubitans ob haesitationem meam praecipue medicum illum consului, sed tempore quo advenit ipse

satis persuasus eram non id esse necesse, sed disuasi, quamquam medicus ille illustis a pulsatione arteriarum vehementi ad venaesectionem paene esset deductus.

Illo suadente kali nitric. cum aqu. amygd. succo Liquir. oxymel. Squill, et pulveres ex herba digit. p. cum hydr. mur. mit. alternatim sumendi ordinabantur, unguentum volatile infricandum et clysteres et pediluvia.

De die in diem sanatio procefsit.

Medicus ille per litteras a me consultus est, quid porro ratum haberet, sed quum ordinatio ejus septimanam integram et dimidiam post quaestionem meam advenisset, quae suaserat, adhibere non ausus sum, quum inflammationis symptomata recidivissent. Jnfusum digit. p. cum crem. tart. et Squillam ordinavi, et aegrotus post hebdomades nonnullas sanitate recuperata gaudebat. Respiratio quidem difficilis adhuc paululum erat, nec arteriarum pulsatio omnino cessaverat, sed de die in diem sors ejus melior facta. Pedes ad finem morbi intumuerunt, sed et hic tumor convalescere videbatur.

Die decimo nono mensis Aprilis iterum vocatus vespere puerum aegrotantem inveni facie pedibusque tumefactis et ipsum abdomen

tumoris aquosi haud expers videbatur. Angustia aderat respirationis, facies tumore calido splendebat. Dolores puer questus est in thorace; arteriarum pulsatio ut prius, regio epigastrica tensa, dolens, imo indurationem quandam profunde in praecordiorum regione invenire credebam. Adfectionem haud periculosam credens Nitri depurati aliquid in emulsione ad dolores pungentes in thorace removendos ordinavi et ungt. Hydr. cum ol. Hyosc. coct. infricandum regioni epigastricae. Die postero hora matutina octava non meliorem morbi statum invenio et medicinam ulterius adhibendam suadeo. Hora prima pomeridiana ejusdem diei citissime accessitus, quamvis maxime festinaverim, puerum mortuum invenio.

Haud sine magna concertatione sectionis, thoracis saltem aperiendi, venia mihi data est.

Pulmones sani erant, sed pleura ad musculos adhaerens coalita. Pericardium maximam ad partem ab apice cum corde coalitum, superius liberum, sed aqua nonnulla impletum. Cor ipsum triplo fere normali majus, praecipue ventriculus aorticus; vasa majora omnia normalia, sana, teneris, ut videbatur, parietibus instructa, sed parietes cordis triplo densiores et crassiores quam pro normali statu;

trabeculae carneae ut digiti viri magni. In ipso ventriculo aortico membrana est inventa ab atrio apicem versus descendens, ventriculum in duas partes vel ventriculos secundarios dividens, membrana supra crassa linearum $1\frac{1}{2}$, lata per totum ventriculum. Inferius apicem versus membrana illa dehiscebat et crura quasi illa diaphragmatis ad imum ventriculum descenderunt aperturam efficientes, per quam in fundo ventriculi veri ventriculi secundarii unus cum altero communicabant. Erat vero ostium venosum vel Canalis communicatorius cum atrio in uno, aorta in altero ventriculo secundario, ita ut sanguis omnis ex atrio ad fundum ventriculi descendens per aperturam alteram ventriculi partem adiret et nunc demum per aortam deduci posset. Ita tres quasi ventriculi in corde humano reperti sunt. In praecordiis nulla induratio erat.

Sectionem ob vetulae nutricis increpationem ulterius persequi non poteram.

## HISTORIA MORBI ULTIMA.

Margaretha Neumüller annos septemdecim nata die nono Februarii in nosocomium Norimbergense venit, phthisi incipiente laborans. Quum symptomata inflammatoria quaedam adessent, mixtura ex Sal.

ammoniac. est porrecta. Habitus puellae maxime erat cachecticus, leucophlegmaticus, chloroticus, pulsus debilis, facies pallida, sed, tussi praesente, cyanica.

Primis septimanis symptomata cyanotica minus eminebant, sed ultimo morbi stadio per ultimas quatuordecim dies clarissima, labia et apices digitorum coeruleo colore; praecipue durante tussi collum et pectus usque ad scapulam et claviculam maxime cyanica. Porrecta est mixtura ex spirit. sal. ammon. anis. cum Laud. liqu. Syd. et extr. gramin; interdum pulveres ex extr. op. aquos.

Primo Aprilis die, quum alia aegrota in eodem nosodochii cubiculo hora quarta matutina esset mortua, risit adhuc, quod illa, ut inter plebem dicendi mos est, in Aprilem missa sit.

Vix quum illam defunctam ex lectulo removere et ex cubiculo deportare vellent, ipsa aegrotantium custodes in lectulum delapsa advocavit et halitum aliquoties ducens oppreſsione pectoris et accessionibus asthmaticis diem obiit supremum.

Sectione facta, foramen ovale dimidiae lineae diametro apertum, sed valvula obtectum erat, ut non multum sanguinis percucu-

rifse videretur. In utroque ventriculo polypus reperiebatur, ex flavo coagulato sero consistens, qui ventriculum et inde originem ducentes arterias Aortam et Pulmonalem ad duas tertias partes implevit. Trabeculae carneae crassissimae erant, unde ventriculi minimi. Septum atriorum plenum erat parvorum foraminum inperforatorum. In pericardio aquae inveniebantur unciae septem vel octo.

---

Hae fuerunt morborum historiae mihi communicatae, quas prelo typographico tradere eo minus dubitavi, quum ab speculationibus theoreticis vacantes, morborum decursum, qualis fuit, depingant, et incorrupta veritate perscriptae sint, qua laude non omnes morborum historiae gaudeant.

## EPICRISIS.

Diagnosis morborum cordis organicorum merito in difficillimis medici problematibus habetur, quum nullorum fere morborum symptomata aeque fallacia fint, ac horum. Plerumque cordis morbus organicus tum demum cognoscitur, quando nulla fere auxilii spes superest, aut saltem sanatio tantummodo palliativa effici postes. Nil vero diagnosin, prae-

cipue in primis morbi stadiis, reddit difficiliorem, quam similitudo symptomatum morborum pectoris, imprimis pneumoniae, adhaesionum pleurae et hydrothoracis. In primo enim morborum cordis organicorum stadio ea ipsa symptomata, quae pro eminentibus in his morbis habentur, magis sunt in recessu, quum alia, quae etiam cum pulmonum aut pleurae morbis sunt conjuncta, magis procedant, quare omnia symptomata, prima morborum cordis stadia concomitantia fallacissima sunt.

Difficillima respiratio, cordis palpitationes motu aut animi affectibus auctae, somnia horribilia, somnus terrore interruptus, pallor faciei cachecticus in Leucophlegmatiam tendens, quem, morbo incrementum jam capiente, nunquam non adesse, dicunt - haec omnia sunt phaenomena aliis quibusdam morbis etiam communia, quare ad diagnoseos difficultatem multum conferunt.

Quis dolorem pungitivum perdurantem, quem miles (hist. morb. I.) semper in pectore conquestus est, cum difficillima respiratione, frequenti, duro pulso, non pro certo concretionis pleurae et pulmonum signo habuerit? Serius adeo, quum morbus hydrothoracis speciem jam gestaret, omnem alium morbum prius,

quam cordis morbum organicum quaesivisses. Aeque fallacia erant symptomata apud puellam illam (hist. morb. II.), quamvis medicus morbum, ut cordis organicum rite cognoverit.

Tum demum morbi cordis organici praesentiam certius colligas, si tumidis extremitatibus, tumido adeo scroto aut vulva et abdomine, coeruleis labiis et digitorum apicibus aegrotantes non nisi sedentes, capite in pectus nixo, in lectulo commorari possunt, si exhalatio membranarum serosarum aucta, absorptio in illis autem imminuta est, quare Ascites, hydrothorax et hydropericardion morbis cordis organicis saepius quam ulli alio morbo comites haerent. Sed tum morbi ingrefsus tantus jam efse solet, ut vix sanationis spem concipere liceat.

Unica tantummodo ratio, qua cordis morbos organicos certitudine quadam cognoscere licet, auscultatio, aut auri sola, aut stethescopii ope secundum cl. Laennec instituenda, mihi esse videtur. Ex accuratissima tantummodo et saepius repetita exploratione motus cordis sani, quod attinet ad ambitum, quo auditur, impulsum, stridoris intensitatem ab impulsu pendentem et Rythmum, secundum quem cor movetur, de morboso cordis statu

ex phaenomenis his abnormibus judicare licet. Nonnulli auri sola ad auscultandum meliori cum successu utuntur, quam stethescopio.

Non minus difficilis quam diagnosis est therapia morborum cordis organicorum.

Haec, ut opinor, primis tantum stadiis morbi locum habet. Serius enim, ubi jam innormalis luxurians adest nisus formativus, ubi jam aneurisma perfectum aut polypus aut ventriculus secundarius adest, cura nulla, nisi palliativa adhiberi potest.

Si medico contingat, ut jam primo morbi impetu illam noscat, venaesectionibus et digitali, nec minus acido hydrocyanico multum effici posse, non dubito, sed frustra operam dabit morbo radicaliter sanando, ubi phaenomena, quae modo memoravi, jam adsunt.

Plerumque reiterato impetu suffocatorio, cujus intervalla arte tantummodo extendi possunt, aegrotantes moriuntur.